

~~P. III. 2.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
17-20.  
SIGNAT. CLVCCCXIII.

20 g. davis.

einzelne verzeihelt  
23. IV. 1915.

20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36 37 38 39 40 41 42 43 44 45 46 47 48 49 50



F. F. F.

FARRAGO

De

CONFARREATIONE,

Ipsis sacris

Farraceis s. Nuptialibus

VIRI

AMPLISSIMI ATQVE CLARISSIMI

DN. SAMUELIS

KLEMMII,

Not. Publ. Cæs. Senatoris & ArchiGrammatei Frei-  
bergensium optimè merentissimi,

cum

VIRGINE

quâ Pietatem, quâ Venustatem

*Nobilissima*

MARGARITA SOPHIA,

VIRI

NOBILISS. ATQV. SPECTATISS.

DN. MAGNI ÖHMICHII in Rube-

nau, Serenisf. Elect. Saxon. à Cubicul. atqve

Lignariæ negotiationis Blumenaviens. &amp; Gersdorffens.

Inspectoris Vigilantisf.

Filia Oculisfima

Freibergæ d. 23. Novembr. 1675.

auspicatò peractis,

exhibita.

---

 Typis BECKERIANIS.



Um non omnibus felici carmine liceat claris esse,  
(quanquā perpaucos etiā eiq̄ laudis invenias avidis-  
simos, quippe *Augustis, Lysandris, Severis, Mecaena-*  
*tibus* suis destitutos) 1, nec Musæ me ita ament, ut  
*Antipatrum* quidem illum *Sidonium*, qui, Cicerone teste, 2. *So-*  
*litus est versus hexametros, aliosq̄ve variis modis atq̄ve numeris*  
*fundere ex tempore*; aliam ego tentavi viam, quā Nuptiali Tuæ  
hodiè festivitati, VIR AMPLISSIME, non ἀσύμβολοι, planè  
interesse videar. Nimirum unam item & alteram memini  
me legisse commentationem, Nuptiis nonnullorum Clariss.  
Virorum sacram, quam antehac fidelissimus studiorum meo-  
rum Daduchus, Præclariss. *Funccius*, cum in eodem, quò nunc  
ego, hîc pistrino viveret, in gratiam fortè τῶν Φιλαρχαίων ede-  
re non dubitavit. 3. Quibus Optimi Præceptoris vestigiis ex-  
primendis licet impar sim, ea tamen tantum abest ut negli-  
gam, ut, si non imitatore, admiratore tamen me habeant.  
At verò quærenti mihi multumq̄ve & diu cogitanti, quānam  
in re exercere se possit hâc vice ingenioli mei imbecillitas,  
nulla major occurrebat, quàm si SOLENNEM CONFARREATI-  
ONIS RITUM ex Romana vetustate delinearem paucissimis.  
Quod antequam humeris meis subire patiar, de ipso confarrea-  
tionis nomine mihi quædam videntur prælibanda. Constat eam  
compositam esse vocem ex farre, adeoque Etymiratione no-  
tare idem ac farris communionem. Sic enim Dionys. Hali-  
carnassæus: 4. *Vocabant, inquit, antiqui sacras nuptias, Roma-*  
*nâ quâdam appellatione rem exprimentes, Confarreationem, à*  
*farris communicatione, quod nos ζεαν vocamus.* Farris natales  
(quos

1. De Eruditorum ac Poëtarum imprimis olim præmiis atq̄ve ho-  
noribus videbis Camerar. Hor. subcisiv. Cent. I. c. 4. 2. Lib. 3. de O-  
ratore. 3. Puta lectu illa dignissima, quæ Ipse summo studio com-  
mentatus est de Nuptiis ad Præclariss. Dn. Grefium, item de Para-  
nymphis ad Excell. Dn. VVanckelium, utrumq̄ve ἕν ἐν ἀγίοις, sed  
tum temporis, illum quidem cum Horniana An. 1653. hunc cum Mol-  
leriana An. 1654. auspicas nuptias celebrantem. 4. Lib. 2. Hi-  
stor. Rom.

(quos alii volunt esse Hebræos 5. ac si derivatum far esset à nomine פֶּרֶךְ quod à rad. פֶּרַךְ expurgavit, in sacris, 6. inter alia frumentum mundum & paleis purgatum significat; alii Latinos, 7. quasi dicatur vel à ferendo, eò quòd id fert terra, vel à frangendo, quia frumentum, ante receptum molarum usum, in pila missum antiqui frangebant) evolvant alii. De Confarreatione quando hîc nobis sermo, *usus vocis* imprimis notandus est, *non Metaphoricus* ille, prout Confarreationem quidam accipiunt pro quacunqve arctiori conjunctione, (ut sicuti σὺναλοι, consalanci vel consalini, qui ejusdem salis participes; ita & Confarreati dici possint, qui eòdem farre participantur;) *sed maximè proprius & Romanæ tantùm antiquitati quasi natus, notans ejusmodi consociationem, quâ per Pontificem Max. & Dialem Flaminem factis antè sacris farraceis nupturi conjungebantur.* Quæ ut omnia lineis attingantur propioribus, operæ pretium est observare, quoniam fuerint **1. CONFARREANDI.** Sunt, 8. qui hujusmodi matrimonii genus *solis Pontificibus*, in usu fuisse volunt, quâ ratione adducti, me quidem latet, nisi fortè nitantur auctoritate Boëtii, 9. *Solis Pontificibus*, inqvientis, *Confarreatio competebat.* Quid si verò Boëtii verba intelligenda essent sic, ut ea Jacobus Rævardus 10. interpretatur: *Confarreationem per solos Pontifices fuisse peractam?* Num exinde quis colliget, modum illum contrahendæ nuptias solitantùm Pontificibus proprium fuisse? Minimè. Nulla enim est consequentia; Per solos Pontifices Confarreatio fuit peracta. E. Soli Pontifices eâ fuere usi. *Rectius proinde Confarreandi fuisse perhibentur æquè omnes ac singuli, quibus legitima matrimonia more majorum inire erat animus.* Nuptias autem, quas Romani habebant legitimas; *tribus modis*

)o( 2 con-

5. Martinius in Lex. Etymolog. 6. Vid. Gen. 41. 49. Ps. 65, 14. Ps. 72, 16. Jer. 23, 28. Joël. 2, 24. 7. Perott. in Cornu Copiæ s. Comment. Lingv. Lat. p. 28. 8. Alexand. ab Alex. Genial. Dier. Lib. 2. c. 5. Calepin. in Lex. Decimator in Thesauro Lat. Lingv. Gothofred. in Not. ad Topic. Cic. p. m. 594. 9. In Comment. ad 2. Topic. Ciceron. 10. Varior. Criticor. Lib. 4. c. 16.

contraxisse eos constat. Prior modus erat *Usucapio*, quâ sva-  
 fu & auctoritate tutorum mulier in matrimonium convenie-  
 bat, cumque viro, ut justo marito cõvescebat, adeò, ut si usus  
 ejus intra annum non interrumperetur, pro usu capta i.e. viro  
 mancipata haberetur ex Leg. XII. Tabul. Alter modus fuit  
*Confarreatio*, de qua impræsentiârum. Tertium autem mo-  
 dum vocârunt *Coëmtionem*, quâ certis conceptis verbis uxor in  
 filia, maritus in patris locum veniebat, ut si quis prior fuisset  
 defunctus, locum hæreditatis justum alteri faceret. Inde eti-  
 am Cicero, quando in Topicis 12. docet, *duas esse uxorum for-  
 mas, unam Matrumfamilias, earum, quæ in manum convenerunt;*  
*alteram earum, quæ tantummodò uxores habentur*, interpre-  
 tante Jac. Rævardô, 13. *per duas istas uxorum formas nullas intel-  
 ligit alias, quàm uxorem justam & injustam*, ut ICTI loqvun-  
 tur: *Justam, quæ in manum viri convenerit, usu, farre, aut coëm-  
 tione, eamque uxorem matremfamilias appellatam esse; inju-  
 stam, quam sola consuetudo uxorem fecerit, & cū quæ jus esse connu-  
 bii leges non patiantur.* Misiss Confarreatio fieri solebat, pergamus II. *ad CONFAR-  
 REANTES*, s. eos, per quos Confarreationis copulâ nupturi con-  
 juncti fuerint. Receptum erat, ut Confarreatio fieret per Pon-  
 tif. Max. & Dialem Flaminem. Nimirum ut veterum Rom.  
 Pontificum omnium (id nominis habentium 14. vel ab uno  
 suorum operum, vidl. faciendo ponte sublicio; vel à posse &  
 sacrificare, quod sc. facere i. e. offerre & sacrificare possint)  
*Unus supremus sive maximus* 15. dicebatur, *qui maximarum re-  
 rum ad sacra & religionem pertinentium judex esset atque arbi-  
 ter;*

II. Quo & numero & ordine passim recensentur. Vid. Rosin. An-  
 tiqv. Rom. Lib. 5. c. 37. Boët. & Gothofred. in Cic. l. c. Cæl. Rhodi-  
 gin. Lect. Antiqv. l. 28. c. 17. Alexand. ab Alex. l. 2. Gen. Dier. c. 5. Serv.  
 ad lib. 1. Georg. Virgil. A. Gellii Noët. Att. Lib. 3. c. 2. Marcelli Do-  
 nati Not. ad Annal. Tac. Dilherri Myrt. Vener. f. Dissert. Philol. de  
 antiquo ritu Nupt. s. 88. seqq. Funccii Comment. sacr. de Nuptiis.  
 Quibus omnibus omnino ad de Jac. Lydii Serm. convival. Lib. 2. de ri-  
 tibus Nuptiar. p. 119. seqq. 12. Lib. 2. s. 12. 13. l. c. 14. Vid. Rosin. An-  
 tiqv. Rom. lib. 3. c. 22. 15. Alexander ab Alex. Genial. dier. lib. 2. c. 8.

ter; ita illi etiam incumbere officium conjugum confarrendi. Majoris autem solennitatis atque auctoritatis ergo ipsi socius quasi adjungebatur Flamen Dialis i. e. Jovis sacerdos, 16. non minoris dignitatis, quam ipse Pontifex Max. Ejusmodi enim *Flamines* 17. *tametsi non essent Pontifices; ita tamen erant adscripti in Collegium Pontificum, ut si quando de re aliqua apud Pontifices ageretur, ipsi unà Judices sederent ejus rei, de qua ad Collegium Pontificum relatum esset.* Quamquam de Flamine Diali, tanquam sacrae Confarreationis Symmysta, prater unum Servium 18. vix quisquam alius mentionem faciat. De Pontifice v. Max. res clara est. Si enim sunt, quos solos Alex. ab Alex. 19. *novo more, ait, conjugalem copulam sacrae Confarreationis jure inire solitos.* Quippe cum matrimonia, apud majores tribus modis fierent; *Usu, Coemtionem & Confarreationem; Confarreationem solis Pontificibus dederunt, cum aliis modis per ceteros contrabantur.* Parum abest, quin persuasum mihi habeam, Pontificalem istam Confarreationem κακόζηλον s. malè amulam fuisse Benedictionis conjugum Sacerdotalis, quæ sicut ab omni ævo in Ecclesia Dei recepta rectè 20. creditur; sic hodieque inter nos Christianos obtinet, adeò quidem, ut eam non præviâ legitimum matrimonium nullum habeatur. Sed nolim ego extra oleas vagari. Redeo ad Confarreationem ejusque III. FORMAM. Quam absolvisse certa quædam verba & solenne aliquod sacrificium farraceum, autor est Ulpianus 21. De certis illis verbis s. ipsa solenni Confarreationis formula ni-

)0( 3 hil

16. Dialis, à Græco Genit. Διὸς i. e. Jovis. 17. Sic appellati à filo, quæ filamines, quòd licio in capite velati erant semper, ac caput cinctum habebant filo. Rosin. Rom. A. lib. 3. c. 15. seq. confer Antonii Thyfi. & Jac. Oiseli Comment. in A. Gellii Noct. Att. lib. 1. c. 12. it. lib. 10. c. 15. 18. In Comment. scilicet ad Virgil. 1. Georg. 19. Locò proximè citatò, conf. ejusd. Gen. Dier. Lib. 2. c. 5. Quibus locis collatis sibi ipsi vel contradicere, vel in dubio relinquere videtur, an de Confarreantibus certi aliquid affirmari possit. 20. Vid. prolixè D. Gerhard Locor. Theol. Tom. VII. de Conjugio §. 410. & 462. 21. In undetriginta libris, qui ex Corpore ejus collecti dicuntur, tit 9.

hil est, quod dicamus. Nullibi enim ea legitur. Sacrificium verò libatum fuisse farraceum, uno ore cum Ulpiano affirmant omnes, qui de Confarreationis ritu unquam commentati fuere. Quamquam sub iudice adhuc ista lis sit, an materia sacrificii farracei solum far, an verò victima farre adpersa fuerit? Posterius inde minus probari videtur, quòd Dionys. Halicarnass. 22. scribit, *Romanos quodvis sacrificium igne adhibendum adpersisse farre.* Quæ sententia si suo stat talo, certè parvum discrimen foret sacrificii confarreatorii & cæterorum. Alii itaque potiùs solum far Confarreationis sacra facientes adolevisse volunt, idque molitum atque sale adpersum, unde & alio nomine mola salsa 23. appellari consuevit. Sic enim Servius 24. *Per Pontif. Max. & Flaminem Dialem farre i. e. per fruges & molam falsam conjungebantur.* Vocabatur etiam simpliciter farreum h. e. ejusmodi panis s. libum, quod ex farina farris tosti, sale adpersâ & aqua conficiebatur. Quem panem farreum in Confarreatione novam nuptam præferre & cum sponso participare solitam fuisse, etiam passim habetur. Cæterum de farre pio s. mola casta, quam Virgines Vestales tres maximæ ex Non. Maji, ad pridie Idus Majas, alternis diebus spicas adoreas in cortibus messoriiis ponendo, easque torrendo, pinsendo, molendo, atque ita condendo, ter in anno fecisse perhibentur, Lupercalibus scil. Vestalibus, atque Idibus Septembris, addito sale cocto & sale duro, plura hinc recensere non attinet. 25. Pauca etiã notanda *IV. DE CONFARREATIONIS FINE S. USU*, qui ferè nullus apparet, nisi velimus, eum fortè fuisse duplicem; Unum *Religiosum s. Ecclesiasticum*; eò quòd & Flamines & Flaminicæ Diales eligebantur, qui ex confarreatis parentibus essent geniti. Quem Confarreatio-

22. Lib. 2. Histor. Rom. 23. De qua plura Joh. Saubertus F. de Sacrific. c. 18. & quos ille citat, Lambin. ad Horat. Stuckius Antiqu. conviv. l. 30. & l. de sacrific. f. 97. 98. Taubmann. ad Plaut. & Virgil. Joh. Ludovic. de la Cerda Not. in Virgil. aliisque. 24. l. c. 25. Vid. Martin. Lex. Philolol.



reationis usum non obscure indicat Tacitus: 26. *Sab idem tempus, inquit,*  
*de Flamine Diali in locum Servii Maluginensis defuncti legendo, simul rogan-*  
*da novâ lege differuit Cæsar. Nam patricos confarreatis parentibus genitos, tres*  
*simul nominari, ex quibus unus legeretur, vetusto more.* Unde etiam Decima-  
 tor 27. explicaturus Confarreationis vocabulum, addit hæc ipsa ver-  
 nacula: Eine Gattung eines Opfers vorzeiten gebraucht an deren  
 Hochzeiten / so da wolten / daß die von ihnen gebohrne Kinder zu Pries-  
 stern geordnet würden. Alterum usum appellare liceat *symbolicum*; ut  
 sicuti apud Græcos 28. Sponsus & Sponsa particulam panis ex sesamo  
 cocti gustare tenebantur, in symbolum fecunditatis, quia sesamus  
 πολύγονος καὶ λιπαρὸς i. e. fecundus & pingvis credebatur: ita &  
 apud Rom. confarreati conjuges docerentur frugales esse, cum majo-  
 res ipsorum non pane quidem, sed pulte tantum farrea CCC. annis  
 contenti fuerint. 29. Restant V. CONFARREATIONIS QVÆDAM AD-  
 JUNCTA, inter quæ 1.) *Antiquitas.* Pervetustas enim fuisse ceremo-  
 nias contrahendi matrimonii per Confarreationem, vel ex Tacito col-  
 ligere satis possumus, apud quem ritus ille *mos* audit *vetustus*, item *anti-*  
*quitas horrida.* Eleganti sanè epitheto. Est enim idem ac si dixisset,  
 tremenda, veneranda, religiosa, sacra antiquitas, quæ reverentiam  
 quandam afferre debeat. Nam & ipsum *horroris* vocabulum quan-  
 doque ad venerationem referri solet pro metu illo, qui ex religione  
 incutitur. Sic Lucanus: *Arboribus suis horror inest,* & Lucretius: *Huc u-*  
*bi me rebus quædam divina voluptas Percipit atque horrore,* e. reverentia.  
 Introduxisse autem ritum confarreati fertur Numa Pompilius, eò  
 forte, quòd idem Deos fruge coli & mole salsa supplicari primus insti-  
 tuit. Vixit anno U. C. 39. ante natum Christum 713. fuitque secundus  
 à Romulo Romanorum Rex, justitiâ & pietate insignis. Servio dictus  
 Numa ἀπὸ τῶν νόμων, à legibus, quòd ferociam populi à bellis ad sacra  
 contulerit & primus legibus urbem fundaverit. Quemadmodum verò  
 juxta Philosophum τιμιώτατον τὸ πρεσβύτατον, honorabilissimum  
 quod antiquissimum; ita & Confarreationi ex antiquitate quædam ac-  
 cedebat 2.) *sanctitas.* De qua Plinius 31. *In sacris nihil religiosius Confarrea-*  
*tionis vinculo habebatur.* Et Dion. Halicarnast. 32. *Hæc sanè inter virum &*  
*uxorem communio primi & sacri quondam habitus cibi atque fortuna quamvis opi-*  
*ma à communi farre nomen invenit, vinculum efficiens indissolubile, nec ulla res*  
*tale conjugium dirimere poterat, ita lex hæc mulieres nuptas, non habentes quò se*

26. Annal. lib. 4. c. 16. 27. In Thesauro Lingv. Lat. 28. Græcorum istum  
 morem Funccius refert in sua de Nuptiis Comment. supra laudata. 29. Quam  
 veterum Roman. frugalitatem ac continentiam laudant Plin. Nat. Hist. l. 18. c. 8.  
 Valer. Max. l. 2. c. 5. Juven. satyr. 14. 30. Lib. 1. Metaphys. c. 3. context. 15  
 31. Lib. 18. N. H. c. 3. 32. l. c.



verterent aliò, cogebat unius mariti se attemperare moribus; viros item sic habere mulieres, ut rem necessariam, nulloque unquam tempore divellendam. Adstipulatur Josias Mercerus: 33. De Confarreatione, ait, multa doctè notata & ex omnibus clarum, sanctas habitas eas nuptias. ideò prisci moris servantissimus Apulejus Cupidinis nuptiis eam adhibet Lib. V. Miles. Ego verò sororem tuam & nomen, quo tu censeris, agebat, jam mihi confarreatis nuptiis conjugabo. Quanta- cunque autem Confarreationis fuerit religiositas, tanta tamen non fuit, ut eam observarent Romani perpetuò. Quippe cum ejusd. Cere- moniæ subortæ tandem fuerint 3.) *nonnullæ difficultates* (ob privilegia videlicet liberorum ex parentibus confarreatis genitorum, qui flami- nes aut flaminicæ fieri dignabantur: Sed adepto sacerdotio statim exi- bant è patris potestate: quod nolebant patres, & ne inviti paterentur, ideò omittebant usum Confarreationis, ne liberi eorum in id sacerdo- tium legerentur. Nam alioqui filii etiam honoribus aucti, filia, etiam nuptæ, manebant tamen in patris potestate. Inde est, quòd *Confarreati assuetudinem aeo suo omissem, aut inter paucos retentam fuisse* ipse apud Ta- citum Tiberius Cæsar edisserit. Minimè tandem prætereundum esset VI. CONFARREATIONIS OPPOSITVM, quod erat, *Diffarreatio*. Sicut enim Connubia Usu contracta dissolvebantur Usurpatione; Coëmtione trans- acta, Remancipatione: ita etiã, quæ farreo libo h. e. Cõfarreatione facta erat in manus conventio, eadem farreo libo i. e. Diffarreatione dirime- batur. Verum enim verò aurem vellit chartæ angustia, ut calamum ex *σαχυολογία* & fartagine ista facienda revocem atq; iis potiù applicem, quæ hodiè Tua, VIR AMPLISSIMEME, ò si ævum secunda, secundò institu- ta sacra farracea à Bonis omnibus atq; singulis expectare æqvū est. Ac- clament alii illud Veterum sive FELICITER, sive THALASSIO! Bona ego, quæ dicere obstringor, verba, hisce concludam Anacreonticis:


Ad Confarreatum par Nobile.


<b>U</b> T Conjuges Dialis	Casto suo marito,	Quid inde sed futurum?
Flamenvæ Pontifexve	Confarreatione	Hoc inde sit futurum:
Confarreabat olim	Longè sacratori,	Ut inqvatis ambo;
Farraceum offerendo	Confarreatione	O pervenuste Sponse!
Libum molamve farsam;	Ejusmodi jugatum	Es fructuosa nostri,
Confarreatione	Te, Sponse, gratulamur,	O Sponsa pervenusta?
Sic jam tenella virgo	Confarreatione	Es fructuosa nostri
Nuptum datur marito.	Ejusmodi jugatam	Amoris officina.
Non quam Dialis ille	Te, Sponsa, gratulamur,	Progerminabit euge
Flamenvæ Pontifexve	Confarreate Sponse,	Sic lectulus jugalis
Confarreavit, ast quam	I nunc molamque sparge,	Noster puellulosque
Amoris autor ipse	Confarreata Sponsa,	Bellas puellulasque
Confarreat Jehova	I nunc molamque conde,	Confarreatione
		Perinde conjugandos.

M. Tobias Siebe Gymn. Freib. Collega,

33. In Notis ad Taciti loc. cit. Conf. eruditissimas elucidationes Donati Marcelli, ad eund. loc. quas exscribere non vacat,







Aug VI 20 (1)

ULB Halle  
004 504 488

3




f

TA → 6L

neu 1+37 Stück verdingt

VD 17

Z



F. F. F.

# FARRAGO

De

## CONFARREATIONE,

Iplis sacris

Farraceis s. Nuptialibus

VIRI

*AMPLISSIMI ATQVE CLARISSIMI*

# DN. SAMUELIS KLEMMII,

Not. Publ, Cæs. Senatoris & ArchiGrammatei Frei-  
bergenfium optimè merentiffimi,

cum

## VIRGINE

qvà Pietatem, qvà Venustatem

*Nobiliffima*

## MARGARITA SOPHIA,

VIRI

*NOBILISS. ATQV. SPECTATISS.*

## DN. MAGNI ÖHMICHII in Rube-

nau, Serenisf. Elect. Saxon. à Cubicul. atqve

Lignariæ negotiationis Blumenaviensf. & Gersdorffensf.

Inspectoris Vigilantisf.

## Filia Oculiffima

Freibergæ d. 23. Novembr. 1675.

auspicatò peractis,

exhibita.

Typis BECKERIANIS.

